

presentibus litteris protestamur, quod villam Wadendorf ecclesie nostre | proprietatem illustri principi domino Sifrido comiti Ascarie vendidimus pro centum et tringinta marcis argenti, | eorundem bonorum possessionem et dominium in dictum comitem transferendo coram domino nostro illustri principe Theoderico marchione de Landisberc secundum 5 terre consuetudinem approbatam. Et quoniam in premissis dubitari non potest rem nostre domus utiliter esse gestam, ne super eis dubitationi vel sinistre ac calumpniose interpretationi qualislibet locus detur, super ipsis presentem paginam conscriptam sigilli nostri appensione consensimus unanimiter roborari. Acta sunt hec in Zwenuordin anno domini M. CC. LX. III, indictione VII^a, VII idus septembris, presentibus eis quorum 10 nomina sunt subscripta, Meinherus burchravius de Misna, Gerhardus burchravius de Querenuorde, Otto de Arnishoge, Bodo de Turgowe, Albertus de Ualua, Egelolfus de Lizowe, Heinricus de Saxsenberc milites et alii quam plures.

(SD.)

16.

15 *Markgraf Heinrich bezeugt, dass während seiner Herrschaft über das Osterland die dem Kloster von Heinrich von Talwiz streitig gemachten Güter in Dockelwitz durch Rechtsspruch dem ersteren zuerkannt seien und fordert zu Beschützung des Klosters in Betreff dieser Güter auf.*

Tharand, 1266 März 4.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 671 mit dem abhangenden am Rande beschädigten Reitersiegel.

20 *Gedr.: Im Auszug M. H. Gribner (De tit. com. palat. in lit. Henr. III.) Progr. 1726, Ann. 50.*

Ann.: In dorso: De Thoculwitz.

H[enricus] dei gracia Misnensis et Orientalis marchio dilecto filio suo Th[eoderico] nec non universis quibus | exhibitum fuerit presens scriptum paratam ad quelibet voluntatem. Notum vobis facimus | singulis ac universis et presentibus protestamur, quod 25 cum terra predicti filii nostri esset in nostra potestate et dominio constituta, ex parte sanctimonialium sancte Marie in Lipz causa contra Henricum de Talwiz de bonis in Tokelwiz, que dicte domine inpetebant, fuit agitata pluries coram nobis et que fuerunt eisdem dominabus adjudicata racionabiliter atque juste, et adeo processum in hac causa, quod memorate ecclesie et sanctimonialibus ibidem deo famulantibus prefecimus conser- 30 vatores pariter et tutores, qui dictam ecclesiam in hiis bonis ab impedimento et injusto gravamine tuerentur. Et ne super eo alicui dubium oriatur, testes et tutores dictorum bonorum quos prefecimus, qui huic cause interfuerunt, quamvis multos scimus, tantum aliquos nominamus: nobiles viri Her[mannus] de Lobdebure, M[einherus] de Vizenbure, H[enricus] de Amendorf, O[tto] senior de Oztrov, E[gelolfus?] de Lizowe et H[enricus?] 35 de Griben et alii quam plures. Petentes primo et principaliter a dicto filio nostro et ab omnibus justiciam diligentibus, ut prefatas dominas in earum justicia protegant et conservent, ne ab eodem vel ab aliquo eisdem dominabus in dictis bonis injuria inferatur, quia scimus quod coram deo jus habent uberius in hiis bonis. Datum Tarant anno domini M. CC. LXVI, III. non. marcii.

40 (S.)